

L. 15, 5

p. (x 200 2464)



CANAM SAPIENTIAM

^{I N}
AUGUSTISSIMO PRINCIPE,
DNO.

AUGUSTO,
PRIMATE GERMANIÆ
ET DUCE SAXONIÆ, JU-
LIÆ, CLIVIÆ ET MON-
TIUM, &c. &c.

PATRE PATRIÆ, ET ILLISTRIS
GYMNASII AUGUSTI CONDI-
TORE MAGNIFICENTIS-

SIMO,

IPSIS IDIBUS AUGUSTI

ANNO M DC LXXVIII.

NATALEM SUUM
QVINTUM ET SEXAGESIMUM
SOLENNISSIME CELEBRANTE,

HUMILIME

ADMIRATUR

JOACHIMUS LEISTENIUS,
ILLISTRIS AD SALAM AUGU-
STEI RECTOR ET P.P.

LEUCOPETRÆ,

Literis JOHANNIS BRÜHLII, Augustei Typogr.



249 q. 15.1
377



Scribit Plinius ad Fabatum, Pyrrhum, Epifotarum Regem, & Romanæ virtutis non tam hostem, qvam admiratorem, sciscitantem, qvæ civitas in hoc vastissimo terræ complexu optima esset? responsum a Philosopho qvodam tulisse; esse in Achaja oppidum ducentorum focorum, Molerdam nominatum, qvod de primatu cum optimis qvibusq; civitatibus jure contendere posset: qvoniam mœnia illius e saxo nigro constarent, & Magistratus canitie conspicuus maxime esset. Vix e tripoде dictum qvicqvam, qvod vero congruat magis, atqve, istud Philosophi effatum. Sicuti enim saxa, qvæ nigra sunt, alia id genus fossilia, albo vel cinereo colore tincta, soliditate & duritie superant longissime, & vim machinarum bellicarum, qvibus cumulantur & accelerantur murorum ruinæ, hebetant franguntqve: ita Republicæ, qvæ senum consiliis reguntur, felicitate multum antistant civitatibus, qvæ incœtæ, improvidæ & cupiditatum æstu fluctuanti juventuti moderandæ tuendæq; committuntur. Habet enim hoc proprium senectus; valet animo, &, qvid æra distent lupinis, omnium optime novit. Semper dies diem docet, & cuvis arti de tempore venit perfectio. Sæpe crastina lux lumen, fœneravit rebus, qvas spissa caligine sepsit hesterna. Sæpe Oratores & Poetæ in extrema ætate olfecerunt, scripta sua, qvæ prima vel media ætas elucubravit, non ubiq; lucernam, olere. Plus famæ & solidæ eruditioñis Philosophus habet, qvi in rerum contemplatione ætatem consumpsit, qvam qvi heri demum, vel nudius tertius Musarum sacris initiatus est. Plus sapit & capit Politicus, qvi multa lustra ad clavum Republicæ sedet, qvam qvi paucos ante menses gubernaculis illius admotus est. Et solet veterani militis, qvam tyronis, longe major esse gloria: qvia, ut Poëta ait, *seris venit usus ab annis.* Atq; huc procul dubio Spiritus Sanctus respexit, cum Eccl. c. XII. v. 5. amygdalo comparat senectutem. Sicuti enim hæc arbor, candidis vestita floribus, gratiam & amœnitatem.

nitatem hortorum mirum in modum auget, & non minus
salubres, quam svaves fert fructus: ita senectus, cana sapien-
tia & prudentia florens, Reipublicæ non solum ornamento,
sed maximo etiam est emolumento. Cognitum id atque ex-
ploratum fuit priscis Romanis: quippe qui ad publicas con-
sultationes viros delegerunt, quibus corpus annis infirmum,
ingenium vero sapientia validum fuit; stetitq; illorum po-
litia, quoad senum valuit auctoritas: ea vero cadente, con-
cudit quoq; imperii majestas, ut Augustissimus Hipponeñsi-
um Praeful ad fratres in eremo scribit. Nihil namq; est, quod
regna æq; servet & firmet, quam prudentia, longo rerum
usu parata. Nihil etiam est, quod illa turbet magis & inqui-
etet, quam vana sapientiae perswasio, qua juvenilis ætas præ-
cæteris turget. Usu, inquit Cicero, constat, maximas Res-
publicas per adolescentes labefactas, a senibus autem susten-
tatas & restitutas esse. Hinc justissimus DEUS, peccata po-
puli vindicaturus, aut seniores vita, aut juniores lumine in-
tellec̄tus orbare solet, ne sint, qui sana consilia promant, vel
iisdem obtemperent. Et hujus quidem rei insigne exem-
plum fata nobis præbent, quæ post excessum Regis Salomo-
nis regno Israëlitico incubuere. Cum enim populus in co-
mitiis Sichemicis στισάχθειαν, seu publicorum onerum remissi-
onem enixe peteret, & seniorcs, qui Salomoni a consiliis fu-
erant, moderata & tuta Roboarno svaderent, nutu supremi
Numinis (patris idololatriam in filio castigaturi) factum.,
ut hic, seniorum consilio posthabito, in juniorum sententi-
am discesserit, acerbe populo responderit, & ob eam rem,
fortunarum suarum maximam fecerit jacturam. Similis
neglectus in simile discrimen Galliæ Regem Ludovicum XI.
adduxit. Postquam enim hic ministros aulicos, quorum fi-
deli opera patere jussus Carolus VII. in negotiis publicis & pri-
vatis usus fuerat, loco moverat, surrogatis in illorum locum
viris, ab usu rerum imperitis, non solum regni optimates in
se armavit, sed & in tantas angustias conjectus est, ut parum
abfuerit, quin regno simul & vita exueretur. Inde malo suo
edoctus, cum lineas propriores sibi fieri sentiret, filium Ca-
rolum VIII. ad se vocatum monuit, ut seniores in Consilium
adhiberet, nec in Republica quicquam sine illorum suffragio
mutaret.

Scio eqvidem virtutem nonnunquam ætatis defectum,

A 2

sup-

supplevisse, & seniles dotes sene^ctuti antevertisse. Nemo enim in medio nostri est, qvem fugiat Davidem, Salomonem, Usiam & Josiam admodum juvenes res maximas aggressos, & constanti animo persecutos esse. Scimus etiam, Alexandrum M. unum & viginti annos natum, arma in Persas induisse, & trajecto Hellesponto, spatio XII. annorum totum fere Orientem vi^ctricibus armis in potestatem suam redegis^se. Neqve ignoramus, juratum illum nominis Romani hostem, Hannibalem, qvinque & viginti annis minorem Imperatorem factum esse, & proximo triennio omnes Hispaniæ gentes bello subegisse. Indubium, præterea est, Scipionem, qvi devictam domitamqve Africam nomini suo induit, & Pompejum M. per adolescentes imperium atqve exercitus a Senatu Populoqve Romano accepisse, rebusqve præclare gestis juventutem suam non solum a contemptu, sed ab oblivione etiani vindicasse. Verum hi vel divino afflatu excitati supra communem fortrem se extulerunt, vel temporum felicitate adjuti, artis militaris fastigium emensi sunt. A prima enim adolescentia in castris versati, & commilitio patrum suorum, veluti maximorum Ducum, usi, solertia sua & recta discendi capacia ingenia rerum militarium scientia excolere facile potuerunt. Instructi insuper fuere a senibus Ducibus & veteranis militibus; de qvorum virtute non raro suppleverunt, suæ qvod defuit infirmitati. Nam in exercitu Alexandri M. ordines nemo nisi sexagenarius duxit, milites qve lecti non juvenes robusti, sed veterani, plerique etiam emeritæ militiae, teste Justino lib. XI. c. 6. Hannibalem vero, Scipionem & Pompejum multos veterans, bellicisqve laboribus exercitatissimos Martis alumnos sub signis habuisse, tempora illa, qvæ viris armisqve incitatissima fuerunt, satis evincunt. Quemadmodum vero provecta ætas id assecuta est, qvod juventutem rapit in illius admirationem, insigne nempe sapientiae decus: ita apud plerasqve gentes non exiguus honos ei habitus est. Nam Herodotus tradit, Ægyptios olim, natu majoribus obviam factos, via cessisse, advenientibus autem e sedili assurrexisse. Spartani vero in seniorum veneratione tam prolixí fuerunt, ut hospes qvidam, intentis oculis cultum, qvi canitici præstabatur, cernens, dixisse scribatur; in sola Sparta
qui
A
expe-

expedit senescere. Brasilienses etiam, qui in Francia Antartica longe lateque colunt, et si sine lege & Rege vivunt, seniores tamen propter rerum experientiam suspiciunt, venerantur, & quoties bella gerunt, ductum illorum sequuntur. Similiter apud Romanos

Magna fuit quondam capitum reverentia cani,

In quo suo pretio ruga senilis erat.

Scribit enim Valerius Maximus, quod ad cœnam vocati diligenter quæsiverint, quinam convivio interfuturi essent, ne senioris adventum discubitu præcurrent: sublataque mensa, priores consurgere & abire passi fuerint. Gellius autem refert, apud antiquissimos Romanorum, neque generi, neque pecuniæ præstantiorem honorem tribui, quam ætati, solitum, maioresque natu a minoribus ad Deorum prope & parentum vicem cultos, atque in omni loco, omnique specie honoris priores potioresque habitos esse. Fallunt proinde, aut falluntur, qui putant, Romæ antiquitus sexagenarios de ponte in Tyberim deturbatos esse. Qvis enim credat, Qvirites, qui virtute ita excelluerunt, ut plerisque gentibus admirationem abstulerint, humanitatis ita oblitos fuisse, ut patres suos, de se & patria optime meritos, de medio tollere & vi fluminis opprimere non duxerint religioni? Qvis nobis persuadeat, populo, qui e senum nobilissimis Senatum conscripsit, ut Reipublicæ consultarent, sene&tutem tanto oneri aut fastidio fuisse, ut eam Neptuno devovre sustinuerit? Fuerunt quidem Romæ Depontani senes: at hi ponte dejecti sunt, non quo interfluens Urbi Tyberis committebatur, sed qui foro, aut Campo Martio, aut pratis Flaminii tempore comitiorum impositus erat ad colligenda civium vota. Quoties enim Populus Romanus ad ferenda suffragia convocabatur, pro tribuum aut centuriarum numero, per quas dividebatur, pontes parati erant, quos quisque civium in tribu sua vel centuria transiret, ad consensum suum, vel dissensum per certas tabulas significandum. Et de his pontibus dejiciebantur, h. e. suffragio, quod de ponte fieri solebat, privabantur sexagenarii, qui immunitatem & vocationem a munieribus publicis impetraverant.

Quanquam vero Romani a senum contemptu alieni fuere,

fuere, alibi tamen reperti sunt, qui aevi maturitatem despatui habere, nafisque suspendere adunco nulli formidarent. Nam, ut silentio præteream Athenienses, quibus a Valerio Maximo criminis datur, quod illorum juventus asurgendi officio natu maiores venerari neglexerit; Herodus in Thalia memorat, Indos pecuarios familiares suos ætate proiectos macrare, & carnibus illorum pasci conservisse. Et Margianæ incolæ, auctore Strabone, senes suos, septuagesimum ætatis annum transgressos, ob leve aliquod delictum occiderunt, carnibus illorum esui objectis; vetulas autem aut vivas defoderunt, aut laqueo collis induit fauces iisdem intercluserunt. Quin & nostra ætate inventias, qui viros fœminasque annis graves alto supercilie despiciant, conviciis & maledictis proscindant, procurvum illorum incessum, nutantem vultum, difficiles aures, caligantes oculos, vacuum dentibus os, tremulas manus, vacillantes pedes aliosque individuos senectutis graves comites vel inique exprobrent, vel gesticulatoria quadam levitate imitantur. At digni hi mihi videntur, qui legatione fungantur. Cum enim longævitas sit peculiare donum, quo Antiquus dierum pietatem mortalium se muneraturum promisit, Deum ipsum reprehendunt, qui maledico dente senectutem carpunt. Rident alios, ridendi ipsi: quoniam ludibrio habent ætatem, ad quam omnes, ob innatum vivendi desiderium, venire optamus. Absurdum namque est, judice Bionte, aliis probro dare, quod consequi ipse discupias. Rident, inquam, qui, si saperent, vel calidissimis lacrymis rerum omnium Auctorem sollicitarent, ut venerandos senes servet, protegat & de suis etiam annis illis annos augeat. Hienim, si pii sunt & justi, precibus & consiliis suis Ecclesiam pariter & Rempublicam fulciunt, muniunt, sustentant. Vivente Augustino, Hippona a Gothis expugnari non potuit: ipso vero in cœlum recepto, mox capta est & eversa. Nimirum, ut liquefacta nive, multum ubique cernitur lutum: ita dissolutis & rebus humanis exemptis piis Simeonibus, confusio saepe & colluvio incumbunt.

At quorsum ista? inquies: Ut felicitatem nostram agnoscamus, qui Principem habemus, non caritatem solum, sed cana etiam sapientia maxime venerabilem, & pietate, incly-

inclytum, Reverendissimum nempe & Serenissimum AUGUSTUM, Primatem Germaniae & Ducem Saxonie eminentissimum, Literarum Statorem & Literatorum Nutricium incomparabilem, qui cum ipso sangvine paterno transfusam in se gubernandi artem usus assiduitate ita promovit & robavit, ut haec aetas nostra paucos numeret, qui comparari cum ipso, nullos, qui ei anteponi possint. Amplius quadraginta anni sunt, ex quo Reipublicae habendas capessivit. Multa igitur vidit, multa audivit, quae serenissimo illius & per se solertissimo pectori justum induerunt habitum. Qvare si civitas illa optima censenda est, cuius Magistratus aetate & rerum experientia alios antecedit, etiam hi Principatus optimis annumerandi erunt: cum & durissimis Saxis abundant, & ab Heroe Saxonico, candida canitie coronato, prudentissime regantur. Saxa DEUS ad murorum & aedificiorum structuram; Principem vero, Saxonico sangvine satum, ad fortunarum tutelam & Literarum culturam nobis dedit. Sub hujus imperio tranquille vivimus: sub hujus praesidio Musarum religioni vacamus: sub hujus patrocinio vitae subsidia paramus, & parata a vi & metu securi possidemus. Ceterum, quia felicitatem nostram, secundum DEum, canae prudentiae SERENISSIMI Nostri unice acceptam referimus, aequum est, ut pro illius vita, incolmitate & salute vota, nuncupemus, cum primis hoc tempore, ubi sub recursum Iduum Augusti quintum & sexagesimum aetatis suae annum auspicaturus, & ad ferendum gravissimum imperii onus novis viribus divinitus instruendus est. Si enim, Serenitas illius pervigili oculo pro securitate nostra excubat: si in promovenda salute nostra nulli operae, nullis sumptibus parcit, indecorum & ab officio nostro prorsus alienum foret, Natalem illius nullis supplicationibus honestare.

Precamur itaque, oramus & obtestamur unum trinumque Numen, velit Principem nostrum, aetate & curarum mole fessum, virtute sua firmare, servare & ab omni periculo tueri: Velit canitie illius novo corporis animi-
que

6/11/10 1324

qve vigore induere, ut non hunc solum, qui fluere nunc in-
cipit, sed longe etiam plures, qvos de indulgentia ejus spe-
ramus, annos, ex voto animiqve sententia traducat: velit
Serenitatem ejus cum Conjuge & Sobile Celfissima
in eum felicitatis statum asserere, qvem niveus illius
candor meretur, ut nos quoqve sub ejus Principatu viva-
mus felicissime: Velit etiam super universam Domum Sa-
xonicam alas gratiæ suæ expandere, & salutem ejus perpe-
tuare.

Qvod reliquum est, omnes Literarum Fau-
tores & Cultores, qvos gremio suo Leucopetra
nostra fovet, & SERENISSIMI Nostris incly-
ta virtus movet, decenter & amanter rogo, ve-
lint operam dare, ut ipsi Idibus Augusti, qvibus
AUGUSTI nostri laudes, hora & loco con-
fvetis, memorare constitui, e frequenti conflu-
xu & attenta auscultatione appareat, ipsos non
minus Auguſtei constantes esse fautores, qvam
Principis AUGUSTI devotos cultores. P. P.
Die XI. Auguſti, Anno MDCLXXVIII.



K. 15, 5

p. (x 200 2464)

Xa
4324

CANAM SAPIENTIAM

AUGUST

NCIPE,

A U
PRIMAT
ET DUC
LIÆ, C
PATRE PA
GYMNAS
TORE

EO,
IANIAE
IAE, JU-
ON.

NAT
QVINTUM
SOLENNIS

IUM
ESIMUM
RANTE,

JO ACHIN
ILLUSTRE
ST

ENIUS,
AUGU-

LEUCOPETRAE,
Literis JOHANNIS BRÜHLII, Augustei Typogr.

